



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de  
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,  
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Qua ratione diuinatio per astra absque expressa inuocatione Dæmonis,  
licita sit. Punct. 4.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

si non differat à furto argenti in genere motis : sic AZOR. 1. p. lib. 3. c. 12. q. 3. Suarez 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 9. n. 5. & c. 10. n. 2. Sanch. lib. 2. in decal. c. 38. n. 14. Bonac. disp. 3. de primo decal. precept. q. 5. p. 3. n. 20.

10. Solum inter inuocationem tacitam, & expressam est difficultas; an sit aliqua differentia specifica necessariò in confessione manifestanda; Ratio difficultatis est; quia idem iuris est taciti, ac expressi: leg. de quibus, in fine, ff. de legibus, & leg. cum quid. ff. si certum petatur, & iac. Eberardus loco ab expresso ad tacitum num. 1. Professio enim tacita, & expressa non differunt. Et idem est de consensu in quolibet contractu. Et confirmo. Tota malicia diuinationis consistit in voluntate impetrandi à dæmone, quod fuerat à Deo postulandum; sed hæc voluntas eadem est, siue verbis id postules, siue factis. Item cum veteris factis, quibus locis dæmonem se immiscere, censuris expressis dæmonem inuocare: sed eadem malitia videtur esse, cum veteris factis, quibus seis nullum alium nisi dæmonem se immiscere posse; tamen nescias, an de facto dæmon se illis immixturus sit. Ergo tacita inuocatio non differat ab expressa. Ergo non tenentur hoc in confessione exprimere, sed satisfacere, si dicas te in diuinando moraliter peccasse & ita tenet Victor. sum. ubi de confess. n. 176. in fine Adde, esto, tacita inuocatio ab expressa differat, differat tamen sicut imperfectum à perfecto, quod non arguit diuersitatem specificam, sed gradualement maioris, vel minoris grauittatis; vt dicit Sanch. cap. 18. n. 24. Suar. lib. 2. de Superstit. c. 10. n. 1. Bonac. p. 3. n. 20. & fauet D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3. ad 1. dicens; multo grauius est dæmonem inuocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, vt se dæmones ingerant. Non enim dixit diuersum esse specie, sed esse grauius; quasi iudicans grauittatem esse intra eandem speciem. At est satis probabilis sententia neminem obligatum esse circumstantias aggrauantes intra eandem speciem in confessione manifestare. Ergo erit probabile non esse obligatum manifestare expressam dæmonis inuocationem.

11. Cæterum credo, te obligatum esse manifestare pactum expressum: Sic Sanch. Suar. Bonac. locis allegatis id tanquam certissimum reputantes. Ratio enim videtur esse: quia in confessione manifestare tenentur non solum distinctionem specificam peccatorum, sed & numericam. At cum voluntatem habes expressam dæmonem inuocandi, distinctum peccatum est, ac est illud, quod committis tacita inuocatio; quia in tacita inuocatio solum hæc voluntas virtualiter adest non formaliter, sed voluntas formalis à virtuali est numero distincta. Ergo tenentur in confessione has voluntates distingere. Neque obstat ratio contraria. Fateor non differre specie tacitam inuocationem ab expressa: at quia numero differat manifestanda est.

12. Deinde est difficultas; an omnis diuinatio siue tacita, siue expressa ad superstitionem pertineat? Negat Valen. 2. 2. disp. 3. q. 12. p. 3. in princ. indicat Lessius. lib. 2. de iustit. cap. 43. dub. 5. n. 28. Mouentur; quia superstitione consistit in voluntate attribuendi creaturæ diuinum honorem, at sola diuinatio futurorum contingentium pendendum à causa libera ad Deum pertinet. Ergo sola hæc diuinatio superstitionis est. Et confirmo, eam à dæmone petis scientiam alicuius oculi effectus presentis, non petis aliquid quod eius presentem excedat, ergo nullam illi tribuis diuinatem. Ergo neque superstitionem committis, tamen grauisimè peccas. Cæterum probabilis est veram esse superstitionem: Sic cum D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 2. docet Caietan. ubi in fine, Suarez lib. 2. de Superstit. cap. 8. à num. 16. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 38. à numer. 9. Ratio est; quia ex proprio diuinitatis iure vult Deus, vt creaturæ omnes ad ipsum confugiant, in eoque fident. Qui ergo illo relicto confugeret ad suum inimicum, in eoque confideret, plane eius iuri diuino derogaret, & quod illius proprium est veller inimico tribuere. Ergo committit superstitionem, & tacitam idololatriam: & per hæc patet solutio contrariæ rationis.

13. Notandum tamen est cum Suarez lib. 2. de Superstit. cap. 8. à num. 22. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 38. n. 26. Lessius lib. 2. de iustit. cap. 43. dub. 5. n. 28. Superstitionem procedentem ex pacto expresso cum dæmone plures maiestas adiunctas regulariter habere: habet namque speciem idololatriæ, si eum tanquam quid diuinum recognoscas; hæresis speciem, si eum talem esse credas; vanitatis, & superbiæ, si ad conciliandam opinionem vulgi iis superstitiosis medijs utaris. Quapropter confessarij in horum examine diligentes esse debent, vt eorum malitiam, & peccati circumstantias plenè cognoscant.

#### PUNCTUM IV.

Qua ratione diuinatio per astra absque expressa inuocatione dæmonis licita sit?

#### SUMMARIUM.

1. Ex astris prædicere naturales effectus, nullum est peccatum.

2. Idem est de temperamento, conditione, qualitate, & inclinatione cuiusvis viuens.
3. Sed hi effectus cerò prædici non possunt: sed sub quadam probabilitate.
4. Ex astris euentus ex libera hominis voluntate pendentes, vt occultos effectus prænuunciare superstitio est.
5. Quid si non cerò, sed probabiliter prænuunciantur? Approbandum est superstitionem esse.
6. Secus verò, si solum coniecturaliter.
7. An hæc coniecturalis, & tenuissima prædictio sanie motu proprio Sixti V. prohibetur? Affirmant aliqui.
8. Probabilibus censeo non prohiberi.
9. Satisfit oppositis rationibus.
10. Quid dicendum de Zabaris? Approbatur doctrina Sanch.

1. Dvplex genus effectuum ex astris prædici potest, aliud est effectuum naturalium, aliud contingentium. Si ex astris prædici naturales effectus, scilicet serenitatem, vel tempestatem, pluiam, vel grandinem, peccatum superstitionis non committit; quia negari non potest ipsos orbes celestes horum effectuum causas esse, & licet excedat in prædictione, quia plus cerò eos prædicit, quam ex astris colligi possunt, ex se seculo dæmno aliquo extrinseco peccatum morale non erit, sed veniale tantum, vitium imprudentiæ, temeritatis, seu mendaciæ. Sic Sanch. lib. 2. in decal. c. 38. n. 29. fine, Suar. 1. 1. de Relig. lib. 2. de Superstit. c. 11. n. 5. & 12.

2. Idem quod dictum est de iis effectibus dicendum est de temperamento, conditione, qualitate, & inclinatione cuiusvis viuents: si enim ex astris prænuunciantur aliquem superbiæ, arrogantia, iræ, aliusque passionibus esse subiectum, non peccas grauius; quia ex influencia astrorum in nauitate cuiusvis contingentium hæc inclinationes magna ex parte proueniunt.

3. At hi effectus cerò prædici non possunt, sed quadam tenuissima probabilitate: Tum quia aspectus astrorum necessarius ad horum iudicium ferendum perfectè non cognoscitur, tum quia ab aliis causis præter astra dependunt. Tum quia sæpè impediuntur. Quis enim non videt ferè impossibile esse, vt quis cognoscat aspectus astrorum, qui in puncto natiuitatis regnant, eorum motus ita velocissimus sit, & quouibet puncto variantur. Adde, esto cognosceres aspectus astrorum in puncto natiuitatis regnantes, non tamen cognoscere potes astra regnantia in puncto conceptionis, sed ad temperamentum viuents non minus, imo potius efficacius conducunt: astra conceptionis, quam natiuitatis; quia fetus tenerior est, & facilius penetratur. Item inclinatio, conditio, & temperatura viuents non tam ex astris colligi debet, quam ex temperatura parentum, & alimento, quo nutritur, sicuti sub eisdem astris semen terræ bonæ mandatum vberem fructum reddit, mandatum verò terræ incultæ nullum producit. Ergo summa est imprudentia ex solis astris velle inclinationes hominum cerò prænuunciare: & ita tenet & optime probat Suar. 1. 1. cap. 11. num. 9. Sanch. lib. 2. c. 38. n. 29. Lessius lib. 2. c. 43. dub. 6. n. 32.

4. Si autem ex astris euentus ex libero hominis arbitrio pendentes, aut effectus occultos prænuunciantur velis, superstitionem committis. Quapropter non licet ex astris prædicere futura bella, contentiones, amulationes: item neque cerum morbum tibi esse euenturum, neque periculum mortis incertum, neque matrimonium celebraturum, iter facturum, dignitatem consequiturum, & his similia: quia hæc omnia ex voluntate libera pendunt, ac proinde ex astris prænuoci nequaquam possunt. Idem iuris est de futuris occultis, aliisque horum actionibus, quæ humana industria inuestigari non possunt, si ea per astra inuestigare tentes peccatum grauissimum superstitionis committis: Sic omnes doctores cum D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. & constat ex illo Deuteronom. 18. Gentis istæ, quarum possidetis terram, augures, & diuinos consulunt, tu autem aliter à domino Deo tuo institutus es. Et Ieremias cap. 10. A fiter à domino Deo tuo institutus es, quia leges populi cæli nolite metueri, quas timentis gentes, quia leges populi cæli non sunt. Ex iure autem canonico constat hoc esse peccatum: ex cap. illos 2. 6. q. 2. cap. igitur. 26. q. 3. cap. non liceat. 26. q. 5. & alijs, & ex Bulla Sixti V. contra Astrologos: Ex iure autem canonico constat, ex leg. nemo & leg. nisi, Cod. de malicijs Mathematicis, & leg. Mathematicos, Cod. de Episcopali auctoritate. Ratio est, quia astra esse non possunt causa naturalis horum effectuum; alias non essent liberi. Neque etiam esse possunt eorum signa naturalia ob eandem rationem. Restat ergo, vt solum esse possint signa ad placitum: sed hoc videtur impossibile cum astra vniuersimter procedant, & effectus in mundo contingentes diuersissimi sint vt patet in Iacob, & Esau, qui esto simul nati sunt, diuersas inclinationes, mores, & facta præterierunt. Ergo idem signum non potest hæc diuersa significare, nisi signum sit æquiuocum: & admissio gratis esse signa ad placitum futurorum euentuum, cerum est humana industria id cognosci non posse: vnde enim cognoscere potes effectus ad significandum futurum euentum contingentem? Restat

Restat ergo, ut ea possis cognoscere auxilio Dei, vel ope demonis. Deus autem, ut supra dictum est non se immiscet his vanis, futilibus, falsisque regulis Astrologiae. Ergo ope demonis ea cognoscis. Non quia ipse demon ex altiorum aspectu colligit quid homo libere facturus sit, hoc enim est impossibile: sed quia ipse demon, ut artem suam commodet, & discipulos ad se pertrahat in malumque consumet sub regulis Astrologiae futura praedicit, quae tamen ipse, ut sic praedicta succedant, manum apponit. Quare illis regulis utens ac oculata cognoscenda tacite saltem demonis auxilium invocat.

5. Quocirca solum est difficultas; an liceat ex astris hos futuros eventus, & occulta facta praedecere non certo, sed probabiliter tantum. Affirmant Caetan. 2. 2. q. 95. art. 5. paulo post prius prius, *vers. in articulo eodem*, & in sine. Valen. *diff. 6. q. 12. p. 3. vers. am vero*, Martin. Delrio *lib. 4. disquisit. mag. cap. 3. q. 1. concl. 2. Toler. lib. 4. sum. c. 15. n. 6.* Et moueri possunt; qui naturaliter vniuersique suam naturalem propensionem, & inclinationem sequitur, sed ad hanc inclinationem alia non leuiter conducunt, Ergo ex illis saltem probabiliter vniuersique facta enunciat possunt.

Dicendum ergo est: ex solis astris haec praenunciare absolute, tamen non certo praenunciatur, est superstitio; quia ex astris humana industria deduci non potest cognitio probabilis horum euentuum. Tum quia non possunt omnia astra concurrentia cognosci, & quae cognoscuntur, imperfectissime cognoscuntur. Tum quia astra non sunt causae immediatae liberorum effectuum, sed ad summum naturalium inclinationum. Tum quia ab astris causis subleuariis eorum influentia sepius impeditur. Tum & praecipue quia contra propriam propensionem, & inclinationem peccatam vniuersique Dei auxilio adiutus procedit. Non ergo ex regulis Astrologiae inuestigari potest cognitio probabilis; alius non dicitur Ieremias *cap. 19. A signis Caeli nolite timere; quae timent gentes quia leges populorum vanae sunt*: nam si ex astris cognitio probabilis futurorum euentuum haberi posset, neque essent vanae leges populorum, sed prudentes; neque irrationabile, & vanum sed potius prudens illa timere. Cum ergo ex solis astris cognitio probabilis haberi non possit, restat, ut illam habeas ex doctrina demonis, & eius auxilio: cum ex Dei reuelatione clarum sit illam non haberi: Sic valent. 2. 2. *diff. 6. q. 12. part. 3. vers. si autem huiusmodi*, Martin. Delrio *lib. 4. disquisit. mag. cap. 2. quaest. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 11. num. 31. Sanchez lib. 2. decalog. cap. 38. num. 33. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42.*

6. Dixi, si ex solis astris haec praenunciatur probabiliter: nam si solum tenuissima coniectura, & quae inclinationem ab astris impressam non excedit, non videtur superstitio esse, ut supponunt supradicti Doctores; at haec coniectura cum tenuissima sit, non est sufficiens ad iudicium de euentu futuro absolute ferendum. Quod non solum ex astris, sed etiam ex aliis circumstantiis temperatura hominis, & conditionis, consuetudinis in operando satis nota praenunciatur futuri euentus probabiliter, non videtur superstitio esse: quia non absolute, & infallibiliter praenunciatur, sed sub illa coniectura, & probabilitate, quae in tali complexo causatum videtur contineri. Sic Suar. & Sanchez *supra*.

7. Maior autem dubitatio est: an motu Sixti V. etiam haec praedictio coniecturalis quantumvis tenuissima prohibeatur, non solum pro foro externo, & iudiciali, sed etiam pro foro conscientiae? Affirmat Sanchez *lib. 2. cap. 38. num. 34. Salas 1. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. diff. 2. sect. 3. num. 36.* Iacob. de Grassis *lib. 2. suarum. decis. cap. 5. n. 19.* quibus videtur consentire Fatinnac. *de heresi q. 18. n. 59.* Probant; quia Sixtus V. statuit, ut contra facientes iudicia, & natiuitates hominum quibus de futuris contingebis successibus fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euentuum affirmare audeant, etiam id certo non se affirmare afferant, aut protestentur, & e. inquirant inquisitores, procedant, & in eos seuerius Canonice pœnis, & aliis eorum arbitrio animaduerant. Ergo quaecumque affirmatio etiam coniecturalis videtur prohiberi. Deinde quia in supradicto motu excipitur solum cognitio astrorum, quae Agriculturae, navigationi, & rei medicae deferre potest, sed exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Ergo cognitio futurorum euentuum quaecumque sit prohibita est. Neque valet dicere hanc cognitionem Agriculturae, navigationi, & medicinae deferentem excipi, quia haec certa haberi potest, futurorum autem euentuum incertissima. Nam etiam pro navigatione, Agriculturae, & medicinae arte incerta est ex astris cognitio. Item hic modus praedecendi futura etiam sub dubio praebet non leuem occasionem deceptionis: putant enim audientes sub illa diuinatione proferri ad dissimulandam malitiam diuinationis, non quia de facto vera non patetur, quae ab ipsis praedecuntur.

8. Nihilominus mihi probabilis apparet hanc coniecturalem, dubiam, tenuissimamque praedictionem in supradicto motu proprio non prohiberi quia in ipso motu proprio nulla

*Ferd. à Castro Sum. Mor. Pars 116.*

de nouo ferret prohibitio, sed quod iure diuino, & canonico prohibitum erat, denouo prohibetur, ut constat ex toto procedo illius constitutionis, & praecipue ex illis verbis: Nos igitur, qui pro nostri pastoralis officij munere fidei integritatem inuolantam conseruare debemus, & animatum salutem prospicere, quantum diuina gratia adiuuare possumus, ex paternae charitatis visceribus optamus, damnautes, reprobantes, omne genus diuinationum, quae diabolo auctore ad fidelium deceptionem à praedictis curiosis, vel perditis hominibus fieri solent. Ecce quomodo solum perniciosa diuinationem à diabolo inuentam prohibere Pontifex intendit: & tradit optime Caetan. 2. 2. q. 95. art. 5. Valen. *diff. 6. q. 12. p. 1. in sine.* Ergo coniecturalis solum praedictionem futurorum euentuum non intendit Pontifex prohibere; Adde: haec coniecturalis, & dubia praedictio futuri euentus, non est praedictio illius absolute, sed solum est praedictio illius sub quadam tenuissima coniectura contingenti, quod potius est praedictio contingentiae, quam est certus, & ita hanc praedictionem in foro conscientiae licite sentire videtur Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. c. 11. n. 30. Valen. 2. 2. diff. 6. q. 12. p. 1. in sine* & p. 3. col. 3. *vers. si autem*, Martin. Delrio *disquisit. mag. lib. 4. cap. 2. q. 3. & cap. 3. q. 1.*

9. Neque obstant contraria. Fateor enim in foro externo puniendos esse Astrologos iudicarios, qui futuros euentus, & res occultas manifestant, tamen si protestentur se non certo ea praedecere; quia saltem tanquam verosimilia, & probabilia manifestant, quod nullo modo fieri potest. Et quia praesumuntur ad occultandam suam malitiam ea forma praenuncianda uti. Quocirca raro à culpa mortali excusari potest quaelibet ex astris coniecturalis praedictio quantumvis dubia; quia nunquam talis praesumitur, sed potius creditur firmitatem habere. Ad confirmationem dico permissam esse Astrologiae artem circa navigationem, medicinam, aliasque res naturales, & prohibitam circa contingentia: at praedictio futuri euentus sub contingentia non videtur praedictio tam futuri contingentis, quam necessarii, cum non tam praedecatur euentum, quam illius contingentiam, Adde in supradicto motu proprio permissam esse Astrologiae artem circa temperaturam, inclinationem, & propensionem viuientis, ut expresse notauit Suar. *ditto c. 1. n. 12.* Ergo sola praedictio futuri euentus, vel occulti facti cum maiori certitudine, quam ex astris haberi potest, prohibita est. Ergo non illa tenuissima coniecturalis praedictio, quae potius est inclinatione, & temperatura viuientis, quam ex alio capite colligitur.

10. Ex his inferitur quid dicendum sit de his, quos Zahories vocant: & placet resolutio Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 38. n. 37.* esse quidem superstitiosos, si visu corporis dicant se penetrare corpus opacum, quale est terra, & quae ibi sunt abscondita cognoscere, quia cum haec cognitio humana potentia fieri non possit, efficitur ope demonis haberi. At si ex effectibus sensibilibus apparentibus, ut ex aliqua herba, & vaporibus, aut exhalationibus naturaliter thesaurum, vel venam aquae significantibus thesauros vel vena praedecant, superstitiosum non erit, quia non ex mediis improprietatis cognitionem inuestigant, neque aliquid quod humana potentia cognosci non potest praenunciant.

PUNCTUM V.

Quousque diuinitio per somnia licita esse possit.

SUMMARIUM.

1. Expenduntur causa somniorum.
2. Ex somnis temperaturas corporis, illisque mores, & affectiones coniectare nullum est peccatum.
3. Inuestigare à qua causa somnia pronentiant, an à Deo, vel malo spiritu, an ex dispositione corporis licitum est.
4. Sed nimis est difficile in hac re sententiam ferre.
5. Expenduntur aliqua coniectura somniorum, quae à Deo immittantur.
6. Quoties probabile non est somnium esse à Deo, peccatum graue est ex illa praenotionem futuri euentus, vel alius effectus occulti colligere.
7. Credere aequaliter somno, seu aequaliter ex illo timere aduersum, non videtur graue peccatum.

1. **D**iuus Thom. communiter receptus, 2. 2. q. 95. art. 6. quadruplicem causam somniorum enumerat: duplicem corporalem, duplicem spirituales. Corporales sunt, tum interior, tum exterior: interior, praecipua causa naturalis somniorum est, dispositio, affectioque corporis humani, si enim abundat sanguine laeta somnia contingunt, si abundat spermate, turpia representantur, si atra bilis dominatur, tristitia cogitatur, si bilis flaua viger, pugnae, rixae, & lites se offerunt, si

Bb phlegma